



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 33. Francisci I. regiminis auspicia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](#)

cognominabatur, eoquod Ludovicus XII. Sæcul. XVI. fiduciariam illius possessionem hoc Duca- A.C. 1515.
tu auxisset. Hac ex caussa Princi-
pes ex Francisci genere progeniti,
Valesii cognominabantur, quamvis is re-
apſe ex Aurelianensibus genus duxisset. *De Thou hist.*
Fuit Franciscus de more Rhemis unctus *lib. I.*
hoc anno die vigesima quinta Januarii a *Guicciardini lib. 12.*
Roberto Lenoncurtio ejusdem urbis Ar- *Bellcar. lib. 15.*
chiepiscopo, atque unacum Franciae Re-
gis appellatione simul Mediolanensis Dux,
jure uxoris suæ Claudiæ de Francia,
Ludovici XII. Filiae nuncupari voluit.
Hæc enim Tridentinæ investituræ titulo
in hujus Feudi possessionem tum vocaba-
tur, si Pater ejus absque prole mascula
decederet; sat tamen verosimile est, quod
Claudia Marito suo jus istud post Patris
obitum dono dederit. Arrogato igitur
Mediolanensis Ducis nomine, Franciscus
haud obscure indicabat, se Prædecesso-
ris sui vestigia pressurum, nec diu nudo
Mediolanensis Ducis nomine contentum
fore; sua tamen consilia, rebus nondum
domi compositis, palam facere, incon-
sultum arbitrabatur.

§. XXXIII.

Francisci I. regiminis auspicia.

Igitur Rex juvenis Rhemis profectus, ad *Ferron An-*
-*ædem S. Diœnyssi contendit, ut ibidem* ^{nal. Franc.}
D 3 ob Bellcar. lib. 15.

Sæcul. XVI. ob adeptum Regni solum Deo gra-
A. C. 1515 tias exsolveret, simulque pro pruden-
ti subditorum regimine divinum exoraret
auxilium. Præstito hoc pietatis obsequio
Lutetiam Parisiorum ingreditur, cunctis
hanc solemnitatem augustiorem reddere
certantibus, totoque, quo Rex in oppi-
do S. Dionysii morabatur, tempore usque
ad Paschatis solemnia nil nisi hastiludia,
chores, ludi, ac jocose exercitationes
cernebantur, in quibus ipse Rex præcla-
ra dexteritatis suæ specimina edidit; nec
tamen ejusmodi delectamenta usque adeo
animum ejus occupabant, quin serio re-
gni negotiis intenderet: eodem enim
tempore Status sui rationibus providens,
munia dignitatesque cunctis suis Officiali-
bus rarsum asserebat; regi tamen sigilli cu-
stodiam, Stephano Poncherio Episcopo Pa-
risiensi, ac postea Senonensi Archiepisco-
po ademit, hanc vero dignitatem Anto-
nio de Pratis primo Parisensis Parlamenti
Præsidi commisit, titulo ac munere Fran-
ciae Cancellarii adjecto; Carolum vero
Borbonum nominabat Connestabilem;
quamvis a tempore Comitis S. Pauli, qui
sub Ludovico XI. capite plexus obiit, nul-
lus hoc honoris gradu decoratus existis-
set. Jacobum etiam Chabannum Pali-
cii Toparcham in Franciæ Marescallum
evehebat, qui tamen, cum jamjam su-
permus Regii Palatii Magister esset, of-
ficium

ficium suum Artho Gufferio Boisiensi Re- Sæcul. XVI.
A.C. 1515.
gis Moderatori cesserat. Denique Vindo-
cini Comitem Insulæ Francicæ, Lautre-
cium vero Aquitanniæ Præfectos nomi-
nabat.

§. XXXIV.

*Fædus cum Anglis a Francisco Rege
innovatum.*

Rebus ita domi dispositis Franciscus pri- *Hist. de lati-*
mas eo curas intendit, ut foedus, que de Cam-
quod suus Prædecessor cum Henrico VIII. bray tom. 2.
Angliæ Rege sanxerat, rursum innova-
ret; nec hæc quoque res magni molimi-
n's erat; ipse enim Angliæ Rex, ut Fer-
dinando molestiam crearet, prior ami-
citiæ desiderio certabat: quapropter
quinta jamjam Aprilis die novum foedus
priori haud absimile utrinque firmaba-
tur.

§. XXXV.

Fædus cum Carolo Austriaco.

Interea aliud quoque agitabatur foedus
cum Carolo Archiduce, Hispaniæ
Principe, ac Belgii Duce, accum isto armo-
rum societas die vigesima quarta Martii
Parisiis conclusa fuit, sequentibus cir-
cumscripta legibus; I. Galliarum Rex
Carolum post Ferdinandi Avi sui obitum
ad vindicandam Matris, ac Aviæ suæ

D 4

suc-